



# The Holy See

---

PIUS PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

*QUOD NOBIS\**

DISTRACTO TERRITORIO EX VICARIATU APOSTOLICO DE SIENHSIEN ERIGITUR  
PRAEFECTURA APOSTOLICA DE YUNGNIEIN IN SINIS, INDIGENAE CLERO CONCREDEANDA

Ad futuram rei memoriam. — Quod Nobis apostolicum munus summentibus proposueramus, ut, scilicet, quantum in Nobis est, continenti cura bono fidelium ac religioni provehendae in dissitis ab hoc catholico centro religionibus tempestive consulamus, Nos facile persuadet ut nunc votis concedamus Vicarii Apostolici de Sienhsien, qui a Nobis enixe exposcit ut quandam e suo latissimo vicariatu partem distrahamus, eandemque in novam missionem independentem constituere dignemur. Ex implorata quidem novae missionis constitutione fructus uberiores in regione eadem divini verbi praecones percipere et catholica proinde religio incrementa suscipere poterunt; quapropter Nos, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis Propagandae Fidei sunt praepositi, et praehabito voto venerabilis fratris Archiepiscopi titulo Theodosiopolitani, Delegati Apostolici Nostris in Sinis, motuproprio atque ex certa scientia ac matura deüberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, civiles subpraefecturas de *Weih sien*, *Tsingho*, *Kitseh*, *Kuchow*, *Yungnien*, *Feisiang*, *Kwangping*, *Chengan*, *Hantan*, *Tzechow* a vicariatu apostolico de Sienhsien separamus sive dismembramus, earundemque territorium, sic per Nos seiunctum sive separatum, in praefecturam apostolicam erigimus et constituimus, cui nomen facimus de *Yungnien*. Hanc autem novam praefecturam apostolicam de Yungnien ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum cleri saecularis indigenae curis concedimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac

definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Maii anno MDCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.*

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

A.A.S., vol. XXI (1929), n. 15, pp. 655-656

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana